


ANN. XV. - N. 92

MM. APRILI ET MAJO

AN. D. MCMXLV



PALAEESTRA LATINA

SUMMARIUM

Imagunculae Claretianae,	MARCOS
Via Crucis,	CURREA
De Recta optimorum oratorum	PARDINILLA
imitatione.	
Comentario al canto VI de la Ilíada,	RUIZ
De erratione Georgii Pelleterii pueri,	HABERL
Adjumenta grammaticalia,	MIR
Nova et Vetera,	MIR
Apollo,	GIRAL
Colloquium,	JOVÉ
Epistolia soluta.	
Bibliographia,	TRISTANIUS
Exercitationes scholares,	
Curiosa et Jocosa.	SUÁREZ, PEIÁEZ, BLASI
	CANALS, LÓPEZ, FAULÍ,
	TOLDRÁ, RIBAS, TAMARIT

Ordinarii et Superiorum permissu

Imagunculae Claretianae

VIII. — TABACUM IN PHASELOS VERTIT

Vicatim pergens, CLARET humanus amabat
 Campestri fari saepe rudique viro.
 Urbem, interdictae mercis advector et ille
 Alterutri promens mutua sensa, petunt.
 «Hei mibi! Tabacum porto velamine tecum
 —Rusticus afflebat— vendere ut urbe queam?
 En prope custodes avidi jam tollere mercem:
 Carcer et invisus imminet inde mibil
 Hei miseros natos dulci quos sede relitos
 Uxoremque piam torquet iniqua fames!...»
 Tunc CLARET verbis addens solamen amicis,
 «Affer —ait— mercem; omnis abesto metus.»
 Jamque gradum custos utrumque tenere jubebat
 Quaerens quid vetitae mercis uterque ferat.
 «Nil vetitum ferimus, custos, agnosce phaselos.»
 —Presbyter affatur merce novata in olus.—
 Obstupuit mercator, qui indeque sospes abivit,
 Missi tabaci lucra minuta dolens.
 Inque domo rursus portentum sarcina praebet:
 Versum tabaco vile legumen erat!

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

Tucumanus in Argentina

Via Crucis

(Quattuordecim Stationes totidem versibus exprimuntur)

Pergis, mi Jesu, morti damnatus acerbae,
 heu duram defers debilis, Ipse, crucem.
 Concidis ingenti pressus sub pondere ligni,
 pallida mox Matris conspicis ora dolens.
 Cogitur ecce Simon morienti tollere pondus,
 oraque tergenti dat tua picta crux.
 Deficiunt iterum vires, iterumque ruisti;
 attamen in casus fles magis Ipse meos.
 Decidis exanimis ter jam sub pondere magno,
 das trucibus vestes, membraque lassa cruci.
 Malleus hei tundit manus et pes sanguine manant;
 parce, Pater, clamans, morte peremptus obis.
 Mater, ab amplexu rapitur tibi dulce cadaver,
 da tumulo, longas haud subitura moras.

CAROLUS H. CURREA, S. J.,

Praefectus Apostolicus in Columbia

PALAEstra LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesatarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1040

De Recta optimorum oratorum imitatione

Gratum nos fecisse lectoribus censuimus si, hac *de recta optimorum oratorum imitatione* inedita scriptione Rdi. P. Emmanuelis Pardinilla - cui aliae proxime sequentur —, PALAESTRAM nostram illustraverimus. In iis nitorem, elegantiam, excultum dicendi genus demirabimur. P. Pardinilla in Coscojuela de Sobrarbe, in Osca provincia ortus est, vita vero funatus est duos et triginta annos agens a. 1897 Cluniae (Ciudad Real). Lugendus sane immaturus exitus horis ingenuisque litteris, quibus plurimum operis et laboris conferre potuisset cum praeclaris animi et ingenii virtutibus ornaretur.

Linguam germanicam, anglicam, gallicam, italam, graecam, hebraicam, arabicam optime callebat, Doctoris laurea, in utroque jure laude amplissima, cumulatus; Sacrae Scripturae assiduus et cultor et magister, ei impense operam dedit, de qua egregium conscripsit opus. Praeterea Romae scholas superioris latinitatis diligens frequentaverat.

Quae res maxime confert ad aptum expositumque scribendi modum, in Latina oratione, meo quidem judicio, optimorum est imitatio scriptorum. Hac enim via, minore labore et periculo, id probe assequi possumus, quod illi, quos imitari studemus, non nisi magno labore crebroque usu, sunt consecuti. Cum etenim clarissimorum oratorum scripta perlegamus, veluti in exemplari conspicimus, cum ea in quae fortasse lapsi sunt, tum vero ea in quibus maxime praestiterunt. Quorum attenta consideratione, certum est amplissimum percipi posse fructum, ut ea diligentissime imitemur, in quibus maximam sibi laudem pepererunt; quibus vero in rebus minus excellere visi sunt, ab iis religiose abstineamus.

Equidem videmus esse, quibus ejusmodi minus imitatio probetur, autumentque praestare suo quemque ingenio indulgere, suum sequi judicium oportere. Quoniam nescio quid dici possit ineptius, cum prudens sinceraque imitatio optimorum scriptorum, ipsa re et ratione maxime commendetur et ipsorum sapientissimorum oratorum firmetur auctoritate.

Neque illud, quod nobis objiciunt adversarii, si probe animadvertisimus, offendit incommodum. Quorum habenda est omnium diligenter ratio.

Principio, igitur, quantum in omnibus rebus imitatio a natura commendetur, dicendum non est. Quaelibet enim ars a natura primum profecta est, — «notatio et observatio naturae peperit artem», Cic., *Orator*, 55 —; deinde posteriores superiorum artificum praecepsis, veluti regularum artis complexu, instruoti sunt, tum de-

mum horum omnium diligentissima consuetudine et praceptorum disciplina, absolutissimum opus perfecerunt, optimique auctores extiterunt.

Hinc videmus in pictura atque fingendi arte, naturam primum rerum hominumque vultus verissime expressisse; tum qui deinceps fuerunt et praestantissimi quique in arte fingendi vel pictura, superiorum excellentissima signa pictasque tabulas, tanquam in exemplaria, inspexisse. Quidni id in oratione praestare debeamus? Cum praesertim nemo fere sit tam singulari praeditus ingenio, qui possit omnia, ipse per se, nullo adhibito praceptor e invenire, atque inventa apte disponere, illudque, quod omnium difficillimum est, quid quoque deceat loco, quid licet, videre. Multa enim prius animo comprehendere oportet, rerum nosse naturas, hominum mores callere; tum horum omnium probabilia argumenta invenienda, atque inventa commode disponenda, quocumque minus conveniens, minus probatum vitandum; deinde oratio optimis luminibus illustranda, sententiarumque pondere et gravitate firmando; denique vocabula aptiora ei propria optiomorumque usu recepta diligenda, ne delicatae religiosaeque aures quidquam fastidiant. Quae omnia, ut quis possit animo et oratione persequi, multa oportet discat ac meditetur, optimorumque auctorum exemplaria diu verset noctuque.

Nec vero ipsi net, quos nunc colimus, dicendi magistri, alia prorsus via perrexerunt. Primi enim qui ceteros omnes praecesserunt, naturam diligenter perscrutati sunt, quidque magis communi hominum judicio probaretur periclitati, ut deinde alii ab aliis edocerentur, quaeque primum inculta et horrida oratio exsisteret, tum demum decursu temporis absolutis numeris completeretur. Si qui autem neminem praese habuisse, nihil a superioribus exempli sumpsisse dicuntur (quod vix admodum credibile est, demus tamen in illo singulari ac paene incredibili Homeri et paucissimorum ingenio) id, inquam, non naturali quidem ratione et consuetudine, sed potius divino consilio factum fuisse, credideris. Quod minime ad communem hominum rationem et usum facere videtur. Nam qui deinceps, ut de Graecis dicamus, successerunt scriptores, optimus quisque ipsum Homerum magistrum professus est. Neque aliam viam oratores, quam poetae tenuerunt. Demosthenem enim, summum eloquentiae Graecae lumen, «plane perfectum, inquit Cicero, oratorem et cui nihil admodum desit», eum tamen, ferunt, septies manu, Thucydidis historiam exscripsisse, ad hujus scriptoris pressum concitatumque scribendi genus exprimentium; eundemque solitum esse pluries Isocratis praceptoris orationes legere. Cujus ex ludo, ut ipsem fatetur Cicero, veluti ex equo Trojano, innumerabiles prodire bene dicendi duces et magistri. Quorum in praceptorum religione, Atticum illud et urbanum atque optimum dicendi genus, potissimum contineri visum est. Atque eatenus succus ille et naturalis orationis, non fucatus nitor, incorruptus permansit, quoad prisca praceptorum auctoritas valuit. Cum vero novam Phalereus atque a superioribus diversam dicendi rationem inducere voluit, orationem molliter inflexit, eamque omni gravitate et vi spoliavit. Ut nevissimi Asiae scriptores, prorsus Graecam eloquentiam corrupisse videantur Non absimili fato Latinae litterae procedere visae sunt Etenim maximam, in his, laudem meruerunt qui accuratius Graeca exem-

plaria imitati sunt. Quod cum Horatius maximopere poëtis praeciperet, tum Cicero Romanae eloquentiae facile princeps, et ipse multum in Demosthenis ceterorumque Graeciae praestantissimorum oratorum scriptis legendis operae insumpsit, duasque Aeschinis et Demosthenis, orationes vertit, ut ad atticum dicendi genus juventus Romana instrueretur. Jam ex quo vetera optimaque exemplaria poëthaberi coepta sunt, Romana ex tunc eloquentia inclinavit et quasi emarcuit, atque in linguam Latinam magnae tenebrae offusae sunt. Quibus omnibus jam patet, quantum optimorum auctorum imitatio ad Latinam orationem afferat adjumenti.

Venio nunc ad illud quod nobis opponunt: hominem, non servum pecus, scriptorem profiteri debere. Quod equidem ultro concedam, si quidem ii intelligent, minime verbum verbo reddi, nec ipsos naevos imitari oportere. Cavendum enim maximopere, ne in ipsa, in quae, optimi licet, —perfectus enim in omnibus quis possit?—, lapsi sunt, incidamus; neve ita exprimere studeamus magistrum, ut cum easdem res, tum ipsa verba transferre videamur. Quod nedum imitari, dicamus sane furari. Neque ita in flosculis quibusdam minutisque aucupandis tempus teramus, ut succum illum ac veluti sanguinem orationis amittamus. Sed hoc modo imitemur, ut potius aemulari videamur. Qua ratione Cicero Demosthenem, Vergilius Homerum et Hesiodum, Pindarum Horatius aemulatus est. Jam in auctoribus diligendis, praebetne unum tantum pluresve imitari, in integrum erit pro cujusque ingenio et indole, diversaque materia, «videndum, inquit Cicero, quo sua quemque natura maxime ferre videatur»; at hoc inter omnes constat, optimum, quolibet in genere, deligi oportere. Demosthenem, in Graecis, Tullius facile ceteris anteponit, nos ipsum Ciceronem in Latina oratione sequamur.

Romae, in Colleg. Hisp.

EMMANUEL PARDINILLA, C. M. F.

PHILATELIA

Benevolè lector:

Visne Missionibus Nigritarum atque infidelium summopere favere? Ne unum quidem pittacium seu signaculum (sello) neglegas, sive nationale sive exterum; alios quoque hortare ut idem faciant.

Omnia pittacia grato animo recipit:

CIRCULO FILATELICO MISIONAL

COLEGIO DE MISIONEROS DEL CORAZÓN DE MARÍA
SOLSONA (LÉRIDA)



1 - 118. Continuación de la batalla. Los dioses abandonan el campo; los troyanos son derrotados; por consejo de Héleno, su hermano adivino, Héctor marcha a la ciudad para ordenar sacrificios a Atena.

1. οἰδηγή] «Quedó sola», por haberse ausentado los dioses que en E intervinieron en la batalla; cf. SCHOL.: γυμὸς θεῶν ἐγένετο: de οἴδω (οἶδε); — πόλοντις] «pelea», batalla; se relacionó con πόλον «tribu» y *οὐδὲ, οπός «voz», como recuerdo del tiempo en que el jefe de la tribu daba el grito de combate. Etim. desconocida, según BOISACQ.

2. εὐθα καὶ ἔνθα], «a una y otra parte», con relación a los ríos junto a los que se lucha. — Ἐθεσε]. SCHOL.: ἐπ' εὐθείας ἐφέρετο ἡ μάχη. — πεδίον] «por la llanura», gen. loc. referido a Ἐθεσε.

3. ἀλλήλων], «unos contra otros»; gen. dependiente, no sujeto, de ιδυνοφέννον «disparándose», arrojándose.

4. μεσσηρῆς], «entre»; todo el verso de tradición dudosa; «fortasse post modo additus est versus». V. LEEUWEN. — ρόάων], corrientes», sólo referido a Ξάνθον; cf. Η 560.

5. ἔρχος Α.], «muralla», defensa de los aqueos; cf. I' 225, II 211, dicho también de Ayas.

6. πάλιαργα], «línea» de combate; aquí sólo en sing., referido al primer batallón de contrarios que Ayas tenía enfrente. — φῶς], «luz», es decir «gloria», «victoria».

7. βαλῶν], «hiriendo», alcanzando (βαλλω) con su lanza; part. aor. de acción simultánea con φῆσε. — τέτοντο], pluse. pf. de τετύω «fabricar», debilitada su significación de voz media a «ser».

8. Ἔρταρηρος], nombre significativo: «el de ricos montones», (σωρός) de trigo, «opulento». El poeta gusta de dar a sus héroes nombres alusivos a las cualidades que les presta; cf. 18 Καλέριον «el que llama», «convida», nombre del escudero de Axilo, el generoso hospedador de cuantos viandantes pasaban junto a su casa. — ἥρν], «noble», de suyo, «valiente», pues el valor, la fuerza, era la ἀρετή misma del «noble»; existen en Hom. ἕρες y ἥρες, gen. ἔρηρες, etc. de la raíz *er*; cf. ἔσθλος, *εσμή (εἴμι).

10. πῆξε], «le clavó»; hay que suprir el compl. «lanza»; cf. N. 372, 398.

11. τόν], doble acus. con ὅσσε: «la oscuridad cubrió los ojos», fórmula para indicar la muerte.

12. ἔπεψε], «mató», aor. con reduplicación de pres. θεῖνο; la misma raíz de φίνος; cf. hom. ἄργη-φατός, «muerto en la guerra».

14. ἀφνείος βιότοιο]. «rico en (medios de) vida»; cf. E 544 y Ξ 122.

15. φιλέσσεν], impf. frequentativo de φιλέω, aquí «hospedar», acoger y agasajar a un huésped. — ὅδῳ ἔπι], «junto al camino»; posposición o anástrofe;

nótese el acento de ἔπι. — οἰκία ναῖων], «que habitaba»; de οἰκίον (*oikos*) sin sentido de diminutivo; grupo éste (*oikia v.*) muy frecuente.

16. οἱ] = *rei*, «a él». — τῶν γε], «de estos al menos» a quienes hospedaba; la part. γε da un aire de ironía amargo a todo el verso. — γράχετε], aor. de ἀρχέω, lat. *arceo*, «apartar», «librar de».

17. ὑπαντιάσας], «saliendo al encuentro», poniéndose en medio para defenderle; de ὑπαντιάσω. — ἄμφω], «a los dos», caballero y escudero; hay un doble ac. en ἄμφω y θυμόν. — ἀπέκυρα], «quitó»; aor de *ἀποφρά-μι, cf. ptc. ἀπόφρας (A 356).

19. ὄργητογος], «auriga», cochero; la prep. ὑπό denota la subordinación y servicio del auriga al guerrero, cuyos son carro y caballos. — ἐδύτηγ], «penetraron», se hundieron bajo la tierra, es decir, sus almas descienden al Hades, región de los muertos que el poeta puso κατὰ γῆνος; cf. ω 106.

20. ἔξενάροξεν]. «mató», significación primera «despojar» de ἔναρα «*exuviae spolia hosti occiso detracta*».

22. νῆσος], «de las fuentes», emparentado con νάω «fluir», νάμα, «fuente».

24. σκότιον], lit. «oculto», es decir, fuera de matrimonio; cf. ἀμφάδιος γάμος, ζ 288.

32. ἐνήρωτο], «mató», aor. med. de ἐν-άίρω, sin relación etim. con ἔναρα.

34. ἐνρρειτης], «de bellas corrientes». — ὥχθη], «orilla», ribera algo levantada del río. Etim. oscura.

35. ἀτυχομένω], «espantados»; SCHOL.: ταρασσόμενοι, καταπλησσόμενοι καὶ φοβούμενοι. — πεδίοιο], cf. 2.

49. βλαφθέντε], «tropezando», detenidos; cf. SCHOL.: ὑπὸ τοῦ κλάδου ἐμποδίζοντες. — μυρικίνῳ], «de tamarisco», *tamarix gallica* (LIN.), que con nombre griego llaman también *myrica* los latinos: *non omnis arbuſta juvant humilesque myrcae*. VIRG. *Egl.* 4, 2.

40. ἀζαντε], de ἀζυμη, «romper». — ἐν πρώτῳ φυμῷ], «en el extremo del timón», por donde el yugo se unía al carro; roto este extremo, los caballos corren solos por la llanura.

41. φοβέοντο], «huían»; φοβέω aet. *fugāre*, med. *fugere*; cf. A 172, 3: καὶ μέσον πεδίον φοβέοντο βρές ὡς, ἃς τε λέων ἐρύθηε.

42. διφρο]. El διφρος era «*posterior pars currus, superposita rotis et axibus*». Allí se sienta el auriga. — ἔξεκυλίσθη], «cayó rodando», de ἐξ-κυλίω; 42 = Ψ 394, únicos pasajes en que ocurre el verbo.

43. πρηγής], «de cabeza», de bruces; οἱ ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκός; cf. B. 418: πρηγέες ἐν κονίγρισιν ὅδας λαζοίατο γαῖαν. Es manera deshonrosa de caer un herido o un vencido.

44. δολιχόσκιοι], «longam umbram projiciens»; de δολιχός y σκία: es la interpretación corriente que otros rechazan; cf. BOISAC.

DANIEL RUIZ BUENO, C. M. F.

Catedrático de Griego

Salamanca.

De erratione Georgii Pelleterii pueri

XIII (*prosequitur*). — Sed brevi in mente ejus tota turba somniorum gyrate coepit. Nam visus est cum Tommiolo per agros currere et conspicari magnam claritatem luminis. Et cum initio non satis dispexisset, quod esset incendium, postea vidit lychnos esse automoli currus, et se hoc jam jam iri oppressum. Sed ligneum crux ex illa machina emersit. Tommius edito clamore fugiebat; nequicquam, nam cum fecisset paucos passus, satellites in viam irruperunt ululantes et impia crepantes verba. Fecerunt impetum in miserum Tommum, neque poterat auxilio esse Georgius, quem ille lignipes inclusisset in capso digario. Tum vero intentis magis oculis videt non eam digam esse, sed monstrum illud currus esse, ubi herus illo die collocutus erat cum Rasputino. Irruebat per scalas Tommum liberans, sed herus ostentans manu cultrum inclamat: perieris, huc si accesseris.

Georgius tremefactus junctis manibus supplicat, cum herum videt profugientem et manum sentit se concutientem audiens simul vocem sibi susurrantem: agendum, surgedum, puer, opus est fugere. Conversus ad illam vocem conspicit feminam vultu simillimam imaginis quadrulae suae. Sed instat vox: Cur etiam spectas? age, fuge, me sequere! Hic vero Georgiolus se erigit et sedens super lecto dilatatis stupore oculis et lychni luce praestrictis veram audit vocem se hortantem: placide, sis, placide fac surgas, me sequaris. Fuit ea femina quae eos vespere, vel, ut verius dicamus, duabus horis ante in eum locum adduxerat. Tommiolus expegitur lamentabilem mittens fletum; sed illa femina digitum suis imponit labris gestu tam acri, ut puerulus ultro obmutesceret et arrepta tenaciter Georgii manu cum hoc sequitur feminam nudis incidentem pedibus et diligentissime omnem evitantem strepitum.

Sic descendunt scalis, transeunt introitum, ex quo satis clare percipiebantur cachinni et clamores satellitum adhuc ludentium in taberna, angusta exeunt porta in pratum. Hic mulier extinguit lumen, accelerato per pratum gressu transit cum pueris fossulam, venit ad aliquam semitam. Hic adfatur Georgium: Hanc percurrite semitam, dum veneritis in viam stratam. Tum ad sinistram vos vertite. Sit curae tibi, et illa quam tecum portas pecunia, continget, credo, retinere machinam, quae ad stationem ferre viariam vos vehat inde primo quoque tramine quam longissime profugite; nam viden', vita agitur.

Non addit alia, sed se inclinans osculatur caput Tommii, qui totus tremebat, et iterum «fugite» ait. Georgius cum se impetu naturae statim insinuasset in semitam, exspectavit Tommum, cuius apprehensa manu coepit currere, evanescente in umbras femina. Quam si quis esset subsecutus, vidisset caute repetentem domum, eadem intrantem porta qua exierat, in cryptoporticu subsistentem ad audiendum tabernae convicium, ascendentem postea per scalas ad lectum adhuc calidum puerorum, colligatas stragulas alligantem ferramentis fenestrae fluitantes, hoc, ut patet, consilio ut intellegetur, qua se ratione pueri in fugam conjectissent. Egressa postea conclave obseravit ostium, sicut prius fecerat, pueris nihil animadvententibus, et celeriter in aliam se recepit diaetam.

Interea fugiebant pueri sequentes ducis suae paecepta. Infinitus autem eis

videbatur callis. Misello Tommio partim timore, partim frigore, crepabant dentes. Georgiolus ei addebat animum, submissa voce et contremiscens omnem strepitum in pratis circum coortum, veritus ne insequerentur carnifices. Sed jam cursu ita debilitatus erat, ut ei impeditetur etiam spiritus. Itaque ut aliquantulum quietis caperet, corpus prostravit humi, et visus est recreari se tactu roris pratensis. Neque vero plus virium remanserat Tommiolo. Cui acutis doloribus splenis illa tam anxia properatione effectis extorquebantur acuti gemitus, quos, ne audirentur, omnibus viribus reprimebat. Tandem viam statam non abesse longius cognoverunt luminibus certis intervallis praetergredientibus. Fortunata haec res est, sic cogitat Georgius, nam frequentatur via ista, et est verisimillimum na&etrum me, si dedero, ut suasit femina illa, pecuniam, digam qua feramur ad ferream viam. Et vere, cum viam tetigissent illam, splendor machinalis prodiit in eam regionem, quam capere ipsi debebant. Itaque audacter prosiluit in medium, et ubi illo splendore circumfusus est, agitatione brachii ad inhibendum invitabat machinam. Nam, ut erat ingenuus, putabat satis esse dare ea signa ad remorandam machinam, data pecunia quodlibet vehiculum concendi posse. Re vera illa machina, paulum retardato cursu, quoad evitaretur obstaculum, contempta voce et imploratione Georgii pristinum continuavit cursum. Eandem acerbitatem iterum atque tertium expertus est, ut tacceam maledicta, quae in importunum perturbatorem conjiciebantur ab illis inhumanis vectorigibus. Itaque demisso animo pueri et perturbato fatigatis passibus illa via progrediebantur lata et lucente, cum dynamica birota cui adjunctum plostellum erat appropinquans constituit. Quonam vos, parvuli, tenditis hacte hora et solivagi? Cum rescisset ad ferriam contendere, jussit eos se condere in plostello et continuato cursu identidem eos respicit oculis plenis misericordiae et verbis adhortatur.

Neque tam vicina erat illa statio ferroviaria. Tres horae partes percurrit, neque segniter, birota, et cum aream stationes tetigisset, adventantis jam auditur sibilus traminis. Ecce, inquit egregius ille juvenis, advenimus in tempore; et percontanti, si tramine opus esset Lugdunensi, cum Georgius, —nihil cogitans et unum hoc sollicitus ex illa regione ut aliquo aufugerent tramine—, adnuisset: Sic, pueri, inquit nihil jam loci tergiversationi, et relicta birota cum pueris versus tesserarium forulum procurrit. Sed quod jam datum signum ad procedendum machinario erat, foruli fene&stella jam clausa erat. Itaque strenuus adulescens, ut vidi, quam molestum id esset Georgio, hunc invitat ut se sequeretur, et manu tenens Tommum se precipitat versus tramentum, quod nondum moveri cooperat. Officiali eos retinenti: Tesseram? —ement in curru tesseram hi quidem. Et pervenit in ipso punto temporis, ut intruderet pueros singulos in effractum unum ex istis curribus jam procedentibus, ut pueris viatoribus nulla relinquatur facultas agendi gratias incognito illi atque benevolo benefactori. Qui reversus ad suam machinam evanuit in obscuram noctis nebulam. Auxilium fuit divinitus missum; neque enim abierant etiam horae duae, cum duae truculentae facies per forulum tesserarium interrogant, venissentne eo emptum tesseras duo pueri, sic et sic, nam eos ex propriis familiis aufugisse. Tesserarius contrahens scapulas respondit verissime neminem se quidem vidisse puerum.

(sequar)

ANDREAS HABERL, S. V. D.

Adjumenta Grammaticalia

VIII. — Supina. — Praep. Hisp. sin. — Modorum attractio. — Praenotanda in consecutione temporum.

I

Supinum est substantivum verbale quo classici scriptores utuntur in accusativo — *um* (sensu *activo*) et in ablativo — *u* (sensu *pass.*). Supinum *activum* adhibetur cum verbis motus *a* *transitivis*, *b*) *intransitivis*: *a)* Romam venit auxilium postulatum, *rogatum auxilium*. *b)* Cubitum discessimus. *Ire sessum*.

- A) *Nota locutiones* { Filiam nuptum colloco. Sessum recipio amicum. (*in script. poster.*): eo perditum, ultum, creptum (*in clas.* = *perdo, ulciscor, eripio*); venum do, pessum do, venum eo, (*in clas.* = *vendo, perdo, vено*).
1) Ad pacem petendam.
2) pacis petendae causa.
3) ut (qui) pacem peterent.
4) pacem petitum.
5) pacem petituri — pacem petentes (*apud script. post.*)
- B) *Locutiones quae finem significant* {

Classici scriptores saepius quam supino, aliis locutionibus (1, 2, 3), utuntur.

II

Supinum *passivum* in — *u* fere pendet ab adjectivis quae facilitatem, jucunditatem, honestatem aut illis similia et contraria significant: *honestus, optimus, nefarius, pulcher, turpis, facilis, utilis, cet.*

- A) *Præcipua supina in — u* finita sunt: *auditu, cognitu, dictu, visu, factu, memoratu, intellectu*.
- B) *Supinum regere potest orationem infinitam, interrogacionem, vel ablativum adiecta praepositione* *cum*. Difficile dictu *cum* quam sit miser (*utrum an, quantopere*). De hoc genere mortis difficile est dictu. Catilina credens optimum factu exercitum augere... .
- C) *At casum regere nequit: Haec res difficile est dictu (non: difficile est dictu causam hujus rei). Neque adverbii determinari: difficile est hoc breviter dicere (non: Haec res difficilis est breviter dictu).*
- D) *Ne fas est dictu, dicere, dici.*
- E) *Facilis, difficilis, jucundus, invenies etiam cum praep. ad et gerundium accus.:* Facile ad credendum. *Facilis et difficilis infinitum posulant si subjecti vices gerit: Difficile est judicare* (el juzgar es c-d.). *Dignus, indignus apud Livium et posteriores supino passivo efferuntur: Dignus auditu, memoratu (class. = dignus qui audiatur, memoretur).*
- F) *Datirus supini adhibetur a poëtis et posterioribus script: Haec lepida sunt memorati (Plaut.).*

III.—Quo modo vertenda sit præpositio Hisp. sin cui subsequitur infinitus vel subjunctivus.

Neque gerundium neque infinitivus adhibenda sunt, sed sequentes locutiones:

- 1) *substantivum adiecta praep. sine:* Videmus saepe alienas calamitates *sine dolore* (sin doleros). *Sine clamore* (sin gritar), *sine cunctatione, sine laudatione*.
2) *participium præsens vel perf. præposita negatione:* Romani non *rogati* (sin ser rogados) Gracis auxilium ultro offerunt. *Nihil laborans* (sin cansarse). *Nihil proficiens*. *Nulla præstituta die* (sin fijar dfa).
3) *Adjectiva negativa: Insciens, inseius, ignarus* (sin saberlo), *insperans; invitatus, nolens* (sin querer).

- 4) *Adjectiva quae verbi Hispani notioni opponuntur: Tacitus (= sin hablar), Salvo officio (=sin quebrantar su deber), Salvus legibus. Infecta re (=sin haber hecho nada).*
5) *relativa qui, quae, quod non, vel quin, et verbum in subj. si oratio est negativa: Multa simul incepisti, quae non perfecisti (sin concluir, sin que h. c.). Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior (sin marchar de tu lado).*
6) *usurpantur etiam: ut non, ut nemo, ut nullus, cet.: Ita ut sentiret nemo (sin que nadie se diera cuenta). Id ut ego non dicam, quis non intelligit (sin que yo lo diga).*
7) *particulae negativae nec, neque, tamen, et . non: Abiit nec vidit amicum (sin ver). Neque in suo opere cessavit (sin desistir).*
8) *nisi cum oratione negativa: Nisi ante causam cognoverimus (sin conocer).*
9) *cum non, nihil, nullus, cet.: Cum ipse non vidisset (sin haberlo v.). Cum litteram scripsisset nullam... (sin haber escrito).*

IV.—Modorum attractio

Orationes subordinatae quae ab alia oratione subjunctiva vel infinitiva pendent, in subjunctivo construuntur cum eorum sensus velut complementum est totius orationis. —Necessario igitur adhibenda est cum sententia quae in oratione subordinata profertur non ut segregata ab oratione principe concipiatur, sed intime cum ea connexa: Negas me audere dicere *quod sentiam*. Existimamus eos, qui rem publicam suis consiliis auxerint, esse immortalē gloriam consecutos.


- A) *Saepe iudicaturus quoque haberi potest, cum oratio subordinata ut res ab oratione primaria subjuncta proponitur: Nos gracis præcipue debere videmur ut quorum præceptis sumus erudit, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere. Sententiam sumus erudit Tullius separatam voluit ab alia velimus expromere.*
- B) *Saepe non habetur attractio modorum: a) in illis quae rem ab oratione principe dissociatam notant; Sciunt ii, qui me norunt, me id maxime defendisse ut vincerent, qui vicerunt. b) In explicazione seu parentesi et in relativis: Ut dicam *quot sentio*. c) in oratione, quae a futuro imperf. vel f. perf. pendet: Spero omnia explicata fore, si te videro. [Contra: Sperabam omnia explicata fore, si te vidisssem].*

Praenotanda in consecutione temporum

In orationibus subordinatis tempus verbi vel modo absoluto exprimitur, i. e. tantum rem *præsentem* consideramus, vel relativo, i. e. tempus subordinatae respicimus. Cum ergo modo relativo tempus verbi finiti subordinati usurpamus, illud pendere debet a tempore *primariae* Quae temporum connexion CONSECUTIO TEMPORUM vocatur. Eaque fere ad orationes in subjunctivo refertur. Tamen nota sequentia in connexione temporum in *indic.*, quae nos aliter atque Romani effermus: *Quicquid ego (tendré h.) continuo scies. Quicquid egī (tengo ya h.), continuo scis.* *Quicquid egere (tenía h.) continuo sciebas.* — *Faciam quod potero.* *Quae jusseras, faciam.* *Quae jussisti, semper facio libenter.* *Quae jusseras, semper feci libenter.* Cfr. Gandiglio § 147, 4; 218, et ADJ. GRAM. I. fut. perf.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

NOVA ET VETERA



PICTURA 4,^a

INFANTIA ET ADULESCENTIA

SECUNDA SCAENA. — FESTUM PUBLICUM

1. — Adeſt aestas. Sol aestuans mensis junii, julii vel augusti adulescentes invitat ut perluantur et naviculentur.
2. — Ad dextram fluminis ripam, remiges vestes ponunt ut in ludis et certaminibus nauticis participes hiant.
3. — Quidam ex iis calceos ¹ exuit: eos exhibulat. Duo vero sodales expediti jam sunt; induunt tantum interulam scutulatam ² atque campeſtre. ³ Colloquuntur

atque amicos praefolantur. De feriis ac festis, quae in altera ripa aguntur, verba faciunt.

4. — Humi, juxta eos, vestes sociorum jacent: cothurnorum par,⁴ calcei,⁵ pedulia,⁶ petasi coactiles⁷ et straminei,⁸ fascia collaris.⁹

5. — Unus ex adolescentibus ihorācem¹⁰ accurate complicavit; eum in linteo collocat in quo vicinus duo schemata reponit.

6. — Sextus adulescens remoratur. Pileum lingulatum¹¹ adhuc in capite defert. Subuculam¹² nondum exuit neque collare¹³ neque brachialia,¹⁴ in manu ex-omidem¹⁷ habet, bracas quoque et tendiculas induit. Haud facile ad proximum cursum paratus erit.

7. — Prope ephebos semita, carduorum¹⁸ praetexta, ad fluminis ripam dicit, ubi Jacobellus noster inter arundines¹⁹ missilia pyrotechnica²⁰ praeparat, quae vespera emittantur.

8. — In flumine, matronae quaedam, umbellis protecta, naviculā praetervehuntur.²¹ Cursum, qui animos allicit, spectant. In singulis scaphis²² quaterni remiges²⁴ omnibus viribus remigant, dum gubernator²⁶ gubernaculum²⁵ moderatur et fragilem navem dicit. Remi²³ aquam in numerum tundunt, atque naviola citatissimo cursu transvolant.

9. — Quidam adolescentes, juxta pontis pilam, de palo versatili in transversum²⁸ (seu de palo cocaneo) concertant. Quidam ex iis caute super palum intentum ac lubricum progreditur, ut signum,²⁹ in extremo affixum, attingat. Ejus misellus competitor³⁰ in aquam prolapsus est atque ad ripam natando contendit.

10. — Adolescentes, aetate robustiores, ad crepidinem³³ hastis ludunt.³⁴ Populus frequens²¹ in pontis lorica innixus et in ripa congregatus, hos ludos spectat. Non nulli tamen spectatores respiciunt ut lusum pali cocanei⁴³ prosequantur et comitatum municipalem contemplentur qui ad praemiorum erogationem accedit.

11. — Primum, quidam pusiones³⁵ conspicuntur qui musicos³⁶ praecedunt: deinde vici magister,³⁷ cum vici magistri adjutoribus et consilio municipali parvae civitatis. Vigiles extinctores³⁸ agmen cogunt.

12. — Feriarum campus³⁹ frequens est: pergulae, equi⁴⁰ circumforanei, circus,⁴¹ —cujus exhibitio jam incohata est—, chorea publica⁴² —ubi adolescentes homines et adolescentulæ loci chorreas ducunt—.

13. — In intima picturae parte, taurorum circum,⁴⁴ ubi strenuus taurarius Hispanus cum furenti tauro⁴⁵ certat, deprehendimus: deinde montes, qui dicuntur, russicos atque sclopetationis locum⁴⁶ ubi, in tractandis armis ignivomis et in scopo collineando, adolescentes exercentur.

14. — Prope, theatrum circumforaneum⁴⁷ habes, in quo comoediae et fabulæ aguntur. Proxime, gigantis et nani⁴⁸ tabernam invenies; prior statura duobus metris cum quindecim centimetris (2,15 mts.) eminet, alter vix pueri brevitatem excedit.

15. — En tandem ferarum saeptum cum beluis: tigris⁵¹ praeditus aduncis et potentibus unguibus, leo⁵² spissā jubā, duae camelopardales,⁵³ elephas,⁵⁴ qui solleter manu utitur.

VOCABULARIUM

- naviculari, (21) navi praetervehi, pasearse en
barca, faire du canotage.
- certamen nauticum, regata, régate.
- : exhibulare [laxare], desabrochar, deboutonner.
- expeditus (3), listo, dispuesto, prêt.
- 2 + interula scutulata, camiseta de punto o de
malla, tricot.
- 3 + campestre, is, n., calzoncillo o pantalón (de
deporte), caleçon.
- 4 par cothurnorum, par de borzeguies, botas.
- 6 : pedule, is, n., calcetín, chausette.
- 7 petasus coactilis, sombrero de fieltro, chapeau de
feutre.
- 8 petasus stramineus, sombrero de paja, chapeau
de paille.
- 9 + fascia collaris [focale, is, n.], corbata, cravate.
- 10 + thorax (americanus), chaqueta, americana,
veste.
- schema, atis, n. | -a, ae], vestido, traje, costume.
- 11 + pileus lingulatus, gorra, casquette, [li(n)gula,
visera].
- 12 subucula, (tunica), ae, camisa, chemise.
- 13 collare, is, n., cuello, col.
- 14 + brachiale, is, n., puño, manchette.
- 15 + tendiculae, arum, pl. f., tirantes, bretelles.
- 16 bracae, arum, pl. f., pantalón, pantalon.
- 17 exōmis, idis, f., (exomium, ii, n.), chaleco, gilet.
- 18 carduus, i, m., cardo, chardon.
- 20 + missilia *pyrotechnica (ignes missiles), fue-
gos artificiales, feu d'artifice.
- umbella, ae, f., sombrilla, ombrelle.
- 23 scapha, ae, f., bote, lancha, yole.
in numerum, à compás, en cadence.
- 27 pila, ae, f., pila, pilar, pile.
- 28 + palus versatilis [in transversum], cucaña
horizontal, mât de beaupré.
- 29 signum, (vexillum) i, bandera, pabellón, drapeau.
- 31 + palus *cocaneus, cucaña, mât de cocagne. (a)
- 32 + hastis ludere, justlar, jouter.
- 33 crepido, inis, f., muelle, quai.
- lorica, ae, f., pretil, parapeto, parapet.
- comitatus municipalis, comitiva municipal, cor-
rège m
- erogatio, onis, distribución, distribution.
- 35 pusio, onis, muchacho, gamin.
- 37 + vici magister, + comarchus, i, alcalde, maître.
+ vici magistri adjutor, teniente de alcalde,
adjoint.
- + consilium municipale, ayuntamiento, concejo,
conseil m.
- agmen cogere, claudere, cerrar la marcha, fer-
mer la marche.
- 38 + vigil exstintor, + exstintor aedilicus, bom-
bero, pompier.
- (campus) frequens, concurrido, animado, con
muña gente.
- + pergula. (taberna), ae, f., barraca (puesto),
baraque.
- 40 + equi circumforanei [circenses, circitores],
caballitos, chevaux de bois.
- choreas ducere, bailar, danser.
- in intima parte, en el fondo.
- taurorum circus, plaza de toros, arènes.
- taurarius, ii, taurocenta, ae, m., torero, mata-
dor, matador.
- 49 + montes russici, montañas rusas, montagnes
russes.
- 46 locus *sclopetationis, (lugar p. el) tiro, tir.
arma ignivōma, armas de fuego, armes à feu.
in scopum collineare, tirar al blanco, tirer à la
cible.
- 47 theatrum circumforaneum, teatro ambulante,
théâtre forain.
- nanus, i, m., enano, nain.
- 50 saeptum terarum (*theriotrophium), parque
(casa) á fieras, ménagerie.
- juba, ae, f., melena, crinière.
- 53 camelopardalis, is, f., jirafa, girafe.
- 61 manus, us, (proboscis, idis, f.), trompa, trompe.
- 62 domitor, oris, m., domador, dompteur.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

(x) Versio Latina opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, Editorum licentia prodit: jura proprietatis vindicantur.

(a) Juxta O. PIANIGIANI, *L'Vocabolario Etimologico della Lingua Italiana*, Milano, 1937), voces cuccagna it., cueaña hisp. cocagne gall., eruendae videntur a voce *cucaneus (*cocaneus). Hae tamen cum coquo, coquina (culina) et coccarius (in glossario DUCANGE) conexas erunt.

A P O L L O

Nomen Apollinis peculiare est dei qui solis symbolo honoratus est, quique plurimis apud gentes nominibus appellabatur juxta solis multiplicem virtutem uti Adon, Titan, Osiris, Adad, Mithras, cet. Autores varios Apollines enumerant, sed cum carmina potissimum de Apolline Latonae filio loquantur, ad hunc sermonem omnem referemus.

Apollo cognomine Phoebus vel Sol, Latonae filius atque frater Diana, natus est juxta fabulam, in insula Delo ad quam confugerat Latona a Pythone fugata, quem serpentem Juno contra illam miserat.

Aesculapius, Apollinis filius, artis medicae cognitione superbiens, ausus fuerat ad vitam revocare Hippolytum, Thesei filium. Sed iratus Juppiter audacem ac temerarium juvenem quod nullam ab eo petisset veniam, fulmine percussit. Apollo maturam ingemuit mortem filii, quem unice amaret, quapropter toto vultu vindictam spirabat; sed impotens ad illam sedandam contra deorum patrem, sagittis Cyclopas occidit, fulminum Jovis fabros. Juppiter in tanti sceleris poenam e caelo sicarium deturbavit.

Posthac divinus Apollo in simplicem mortalem ad tempus commutatus est, qui diu per terras vagabundus ac necessitate compulsus, additus est ad pascenda Admeti regis armenta. Homines tunc edocuit fistula canere, scientias optimasque artes colere. Praeterea Apollo Trojanis praesidio fuit Trojamque muro circumdedit. Conditor etiam oppidorum dicitur fuisse, atque eloquentiae inventor. Peritissimus medicinae fertur, immo primus ocularis medicus fuisse; sed potissimum gnarus canendi arte ita ut deorum convivia lyrae concentibus laetificaret. Habitus quoque fuit Musarum pater et poetarum, quibus semper praeerat, atque divinandi scientissimus; in sagittando demum solertissimus, unde eum maxime colebant venatores.

Apollinis cultus multiplex fuit lateque diffusus prout eruere licet ex locis ab Apolline nuncupatis. Sic in Graecia, Romae et in Asia diversa templa et oracula habebat; fama clariora fuerunt Delphorum, Thebarum et Deli, Patarae, Antiochiae, Miletii, Romae denique Aedes Palatina.

Sacra Apollini erant cygnus et corvus tamquam diei et noctis symbola, et cervus longaevitatis; item serpens, mus aliaque hujusmodi. Praeterea ei dedicata sunt nemora Gryneum et Ortygium prope Siciliam ac mons Parnasus, hujusque fons Castalius.

Plerumque illum repraesentant artifices intonsum et imberbem (aliquotiens barbatum) cum cithara, sagittis et arcu, atque capite lauris vel splendoribus stipato.

J. M.^a GIRAL, C. M. F.

COLLOQUIUM⁽¹⁾

PILA AD SCROBICULOS

(Juego de los hoyos o de los boches)

PERSONAE: Petrus, Johannes, Antonius, Thomas, Alexander, Paullus, Josephus

PETR. — Quonam joco ludemus hodie?

JOH. — Pila ad scrobiculos, si placet

ANT — Nihil mihi gratius. Vobis autem quid?

OMNES — Optime, optime!

JOH. — Pilam igitur seligamus. Quisnam eas portat?

THOM. — Alexander, quantum puto.

JOH. — Heus! Alexander, affert pilarum sacculum.

ALEX. — En vobis; sunt molles et sunt durae.

PAUL. — Duram malo quae rectius con- jicitur.

PETR. — Sed scapulis minus commoda est.

ALEX. — Hanc ergo habete mediocrem; nec nimis mollem, nec nimis duram.

THOM. — Ubi autem scrobiculos fodimimus?

JOH. — Venite mecum; ibi in proximo sub illa arbore locus adest peroppor- tunus.

ANT — Ita sane.

JOH. — Quotnam sumus numero, ut totidem scrobiculos fodicemus?

PETR. — (Numerat sodales) Unus, duo, tres..., omnino sex.

THOM. — Numquis cultellum habet?

ALEX. — Ipse habeo.

THOM. — Commoda mihi, amabo, eo etenim et facilius et elegantius me expediam.

JOSEPH. — (Venit et a longe clamitat) Heus vos! Mihi etiam fossulam cavate; et ego vobiscum colludam.

THOM. — Jam venit alius.

ALEX. — Oportet et alium scrobiculum fodicare, si quis alius postea venerit.

JOH. — Eja! Agite jam; incipiamus ludum. A tergo te verte, Petre, ut scrobiculos sortiamur. Dic nunc. Hic cui?

PETR. — Hic tibi

JOH. — Hic?

PETR. — Paullo.

JOH. — Hic autem?

PETR. — Mihi.

JOH. — Hic vero?

PETR. — Antonio

JOH. — Hic quintus?

PETR. — Quinam restant non nominati?

ANT. — Alexander Josephus, Thomas.

PETR. — Iste vero Josepho.

JOH. — Paenultimus tandem?

PETR. — Thomae.

ALEX. — Ergo reliquus mihi obvenit ultimus; neque paenitendus.

THOM. — Mihi sorte cecidit minus aptus.

JOH. — Quid facias? Patientia opus est.

PETR. — Quisnam prior pilam mittet?

ALEX. — Litterarum ordine procedendum.

THOM. — Non placet. Testulas potius ad lineam jaciamus et pro cujusque testulae ad lineam proximitate alias alio prior esto.

OMN. — Ut libet. (Mittunt testulas ad li- neam).

JOH. — Ego primus, ut videtis.

ANT. — Ego... secundus... tertius... quartus... quintus... paenultimus... pos- tremus.

ALEX. — Jam discedo, nam in meum certo non cadet pila.

JOH. — Ne nimium esto securus. (Mittit in Petri fossulam).

PETR. — Hem! statet Pol, Thoma, tu pro- prius eras cum state! dixi... accede aliquantulum... Horsum amplius, ubi frutex ille assurgit.

THOM. — Ne digito transverso accedam amplius (gas! mittit Petrus) Pro dolor! Ne tam valide injicias. (Pilam captat). Statet In quem mittam nunc?

(1) Missum in scenam, die Sti. Thomae Aquinatis, in nostro Collegio Barbastrensi.

ALEX. — Eja, Thoma, citus proice.
 JOH. — Quid moraris?
 PAUL. — Huc in me! huc in me!
 THOM. — Ubi Antonius?
 PAUL. — Sese abscondit sub margine.
 Jacito in me.
 THOM. — Inmotus ergo remane (**zas!**, errat).
 JOSEPH. — Post tam longam moram aë-
 rem percussisti. Primus lapillus in
 fossulam Thomae.
 ANT. — Afferte pilam. Abite omnes! In
 tuam, Thoma; (**zas!**) jam est.
 THOM. — (*Pilam capit*) Statet! statet! El
 mihi! Quam longe estis omnes! Quis
 eam vult excipere?
 PAUL. — Excipiat nemo. Oportet ut per-
 dat Thomas ut cito fintatur lusio.
 THOM. — Te apte accomoda. Petre
 (**zas!**). Te attigisse videor.
 PETR. — Haudquaquam! Alius lapillus
 Thomae
 THOM. — Nunc meum est mittere pilam.
 JOH. — Ellam! Videamus ubi consistat.
 In mea fossula quidem. Statet sta-
 te! Iterum in te, o Thoma! Alii
 praesto ad fugam! (**zas!**; *pila longissi-
 me abit*).
 THOM. — (*Dum pilam perseguitur*) Mihi
 adversatur fortuna... Statet! statet!
 JOSEPH. — Tertium tibi jam paro lapil-
 lum.
 THOM. — (**Zas!**; *iterum errat*). Periclitior
 quidem; tres jam mihi sunt lapilli.
 Quotiens subeundum verbera illi qui
 perdet?
 JOH. — Quinquens. Jam potes aptare
 terga. Mitte pilam in fossulas. Ale-
 xander. Tuæ nunc sunt partes.

ALEX. — Date pilam. Heus, Paulle, in
 tuam.
 PAUL. — Statet, statet! Ubi Thomas?
 THOM. — Eccum me!
 PAUL. — Quartum lapillum praepara
 (**zas!**).
 THOM. — Statet, statet, statet! (*dum excur-
 rit pia*).
 PETR. — Fugite, fugite donec pilam in
 manu habeat.
 THOM. — Miserum Thomam! Inane est
 quicquam tentare. Cedo jam vobis.
 Quartum addite lapillum.
 JOH. — Haec lusio ad finem vergit.
 THOM. — Non ludam amplius hoc ludi
 genere mihi tam infesti. Sed hoc
 non valet, omnes in me conjurastis.
 (*Cadit pila in fossula Josephi*).
 JOH. — Statet! statet! (**Zas!**; *in Thomam*).
 PETR. — Evoël! Quam recte percussus!
 THOM. — Statet! Unam e costis mihi con-
 fregisti.
 ANT. — Neque hac vice Thomas percutiet
 quemquam.
 THOM. — (*In Johannem projicit, sed frus-
 tra*). Non valet!
 JOH. — Quid non valeat?
 THOM. — Loco aliquantulum te amovis-
 ti.
 JOH. — Minime vero; caput solum ad
 laevam parum deflexi.
 ALEX. — Evax! Verberal, verberal. Con-
 stituamus nos in duplicem ordinem
 atque medius pertranseat quinqulens
 Thomas.
 JOH. — Heus sodales! Sit ventia amico.
 OMNES. — Etiam, sit ventia!

EMMANUPL. JOVÉ, C. M. F.

EPISTOLIA SOLUTA

FR. PATRICIO (*Calagurrim*). — Inter-
 rogasti, o bone, quaenam agendi et scri-
 bendi ratio adhibenda sit ut carmina
 Latina affabre componant alumni tui.
 Rem sane difficultem, nisi ipsa natura ad
 effingenda carmina adulescentes insi-
 tuantur. Quae Horatius in epistula ad
 Pisones proferat, recolant novelli poë-

tae. : «Ego nec studium sine divite vena
 / nec rude quid possit ingentum video . »
 (409.10) — In grammaticis Prof. Echauri.
 Llobera, Laurand (*Études grec. et
 latines*), probatas de versibus leges inve-
 ntes, de caesuris, de elisione, de licen-
 tiosis, de fine hexametri, ceterisque. P.
 Llobera regulas conficiendū versus ex pe-

dibus solutis (p. 542) te docebit. Tandem in libro Dni. Marouzeau *Traité de stylistique appliquée au latin sub indice Structure rythmique du vers*, de suavi ac subtili numero atque de verborum apta dissociatione exquisite disceptatur. — PALAESTRA et libelli nostri ad vos missi sunt; utinam vobis probentur.

P. J. SEGOVIA (*Tapia de Casariego*). — Accepistisne PALAESTRAE LATINAЕ in togram collectionem? si qui fasciculi defuerint, certiores nos facies; forsitan apud nos eos reperiemus. — Dnum. Aloisium, communem jam amicū, salvere jubebis. Commentario nostro favere ne desistas. Cura ut valeas.

PH LINZA (*Civitatem Regiam*). — Si opera dramatica latina, quae desideras, scriptorum veterum sint, nullam reperio editionem recens apud nos vulgatam. Plautum, Terentium, Senecam libraria Fratrum Garnier (Paris, r. des Saints Pères, 6) cum versione Gallica edidit. Si opera recentiora quaeris, P. Avenarius S. V. D. Latine vertit quaedam quae in ALMA ROMA prodierunt. In PALAESTRA (n. 51 et seq.) videsis «Molae subterraneae».

J. A. (Orium). — Rem pecuniariam cum Administratore te composuisse arbitror. — Tuas scriptiones evulgare juret nisi quaedam in nus Latina et minus poëtica inessent, quae, cum versu conscripta sint, haud facile emandantur. Rem tamen tentabo

J. ARRIETA (*Aranocetum*). — Tuas litteras Latinas valde amo; spatiū, ut eas ederemus, defuisse doleo. Horatium amore prosequere — Mens est ut carmen tuum Horatianum — quamvis Hispanicum — proxime proferamus. Fratrem tuum Carolum López meis verbis salutem dices

M. RAVOS (*Alabonam*) — Nescis quā animi aegritudine laboravi cum lugendum nuntium legi... Valetudinē tuae fac indulgeas. Utinam consilia nostra erigi ac firmari valeant. — Quae ad te misi, cum voles, remittes. Ne amplius legendō fatigeris.

J. GUILLÉN (*Salmanticam*). — Plurimis — hisce diebus — implicatus negotiis, opus tuum nondum quiete legere potui. Rel manus admoveo.

BIBLIOGRAPHIA

Pabón • Echauri. — *Diccionario Griego -Español con Lista alfabetica de formas verbales y Apéndice gramatical.* - 2.^a ed. revisada por D. José M.^a Pabón. - 12 x 17'5 cms., 602 pág. - Editorial Spes, Paseo del Emperador Carlos I, 149. Barcelona, 1944. - 40 ptas.

Novam editionem hujus eximiū operis vulgatam esse vehementer gaudemus atque lectoribus nuntiamus. Lexicon manuale quidem est, sed fere completum; alumnis atque Graecarum litterarum studiosis perutile, editione typographica nitidum ac pulchrum, versio Hispanica accurata et perfecta; distincte notantur significaciones, verborum regimen, locutiones praestantiores. Opus flexionum verbalium serie et concinna totius grammaticae synopsis completetur. Haec nova atque castigatior editio a Dno. J. M. Pa-

bón recognita est, qui quidem in eruditissimo prologo rationes, quibus innixus, emendationes peragere curavit. significat atque solidis argumentis probat.

Inter lexica Hispanica principem locum certo obtinet.

Benito Durán A. — *Laelius seu de amicitia, Cato major seu de senectute, adaptación, prelección.*

Olea Montes J. — *Lyricorum carminum selecta.* — Ed. Bibliográfica Española, Barquillo, 9, Madrid.

Editrix bibliographica Hispanica edendos curavit scriptorum Romanorum libellos, qui alumnis ad interpretationem inserviant. Quaedam de vita et operibus scriptoris cum libri synopsi praemittuntur; at nullis adnotationibus opuscula declarantur vel explicantur.

JOS. M. TRISTANIUS, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Quid dedicatum...

(HORAT. 1, 31)

¿El poeta, qué suplica
cuando liba vino nuevo
y en honor del alto Febo
un templo santo dedica?
No los campos bien labrados
de la Cerdeña abundosa,
ni la grey tumultuosa
de los calabrios tostados.
No el oro o marfil indiano
ni la tierra carcomida
por el son adormecida
del plácido Garellano.
Aquel que en tiería calena
vñedos tenga sin cuenta,
de la fortuna contento
pódelos enhorabuena.
Goce el mercader pudiente
bebiendo en vaso dorado
viejos vinos que ha trocado
por mercancías de Oriente.
Pues de los dioses querido,
el Atlántico furioso
ha surcado, y victorioso
de sus iras ha salido.
Con el fruto del olivo
y achicorias comestibles
y con malvas digestibles
sustentado alegre vivo.
Dame tú, Apolo, que pueda
gozar de salud florida
y tañer toda la vida
mi laúd que al ave remeda.

CARLOS SUÁREZ
Alumno del III c. de latin

Seminario de Corbán (Santander)

Fabella

Lupus plaga captus est et hominem
illac casu transeunte, rogavit ut illis
vinculis eum exsolveret. Redita jam li-
bertate, sic vindicem affata est fera. «Fa-
me conficior teque comedam, secus mor-
riar». Homo orabat ne beneficii imme-
mor eum voraret; lupus autem nullis
suadebatur verbis, defessique longa dis-
ceptatione, duos ut accederent judices
ad sententiam statuerunt. Asinus vulne-

ribus confectus, vepres carpens, primus
judex inventus est. Ab eo quaesierunt
malumne pro bono reddendum esset.
«Talem ego mercedem accepi, inquit
asinus, nam, cum diutius homini servi-
remi, tot umeris sustinens onera, nun-
quam filios calcitrans, heu! pro munere,
nunc defessus annis et desertus viribus,
in hanc vepreta ejectus sum». Alter ju-
dex vulpes exstitit quae sese eis obvia
obtulit. Homo anxius ita eam alloqui-
tur: «Vulpes, cui et sollertia et calli-
ditatem Juppiter dedit, hanc item re-
solvas, judex studii partium expers». Cumque ab utroque litigante judicii cau-
sa narraretur, locum et plagam, inquit
vulpes, ego inspiciam oportet. Ad pla-
gam ducta et sedulo undequaque eam
semel et iterum inspiciens, lupum exo-
ravit ut sese retibus implicaret rursus;
quod, ubi factum aspexit, istiusmodi
suam sententiam tulit: «Hic persta, haec
enim merces te ingratum decet».

EMMANUEL PELÁEZ GONZÁLEZ

Alumnus primi curriculi amplioris Latinitatis
in Seminario Vallis-Dél, Orett.

Alumni Collegii Cordis Mariae Adolpho
Obiang, s. s.

Quam gratae exclamaciones gaudit
exierunt ex animis nostris, lecta epistula
qua nos salutabas, quaque certiores fac-
ti sumus de ingenti opere in bella insula
ab apostolicis contionatoribus adim-
pleteo. Gaudemus præterea quod Patres
Missionarii, praeter quam colligant nos
vinculo conjunctionis christianaæ et
sociant sub peplo Mariae Virginis, et in
vobis et in nobis suscitent idem studium
eundemque amorem Latinæ linguae.

Utinam fiat, sicut tu desiderabas, ut
cito, sit in Guinea Africa unus Pastor
unum gregem custodiens. Sed vos, in
quieta atque pacata insula vestra corda
tollite ad Deum petentes ut finiat hoc
bellum quod minatur labefactare anti-
quissimum atque verendum cultum nos-
trum. Etiam atque etiam vale. Barcino-
ne. Idibus februarilis.

FERDINANDUS BLASI
VI Cursus alumnus

Curiosa et jocosa



SUB MERIDIEM

118. SIXTUS. — O! pelagi fluctus cursumant, Paule, remoti?

PAULUS. — Em... forsitan pisces prandia, Sixte, coquant. — A. M. CANALS.

119. MAGISTER — Quot sunt Sacra-menta?

AUDITOR. — Nulla.

MAG. — Teram ego tempus te docens. inepte! Quot sunt? repetas.

AUD. — Nulla; heri enim meae aviae postrema dederunt.

120. — In quo tibi Richardus offendit? Cur eum non salutas?

— Quia heri et senem et ignarum vocavit me.

— Quoad primum certe sese fecellit, adhuc enim juvenis es.

— Uxor viro: Tuus familiaris, inquit Antonius, nostram domum modo petlit.

— Tunc vir: Quid autem cupiebat?

— Uxor: Asinum emere.

— Vir: Quod autem ei responsum dedisti?

— Uxor: Te non esse domi.

122. — Quod est caput quod in ma-jore versatur periculo?

— Caput alii, quia semper est in furca.

123. — Judex viro: qua causa, inquit, uxori tuae verb:rasti?

— Vir: O judex, nulla cum causa, sed cum magna fraxinea virga illam verberavi.

JUSTUS LÓPEZ

In «Aspirantado Mtro. Avila, Salmanticensi auditor

IN AULA GEOMETRIAE

124. — Quid est radius?

— Radius est instrumentum quod domi habemus.

JOSEPHUS FAUJI

IN AULA LINGuae LATINAe

125. — Quo modo dices Latine plu-rali numero «filius»?

— Gemini (gemelos).

MAGINUS TOLDRA

IN AULA GEOGRAPHIAE PATRIAe

126. — Nostin' aliquos sinus (golfos) Hispaniae?

— Minime, Domine; nullum novi, quia pater prohibet quominus cum malis collegis eam.

Barcino.

EDUARDUS RIBAS

LECTUS LARVALIS

127. 1. Viator quidam, pedestri fessus itinere, somnum in extera civitate querit, et deversorum invenit minimi pretii; in quo inscriptum legit: «singuli lecti tribus pesetis». — Pro caeli sidera ait, mihi, mehercule, minoris erit!

2. Statim, nemine prohibente, in culcitam se ingerit, quae ad portam munditiel causa erat.

3. Mane servi qui munditias faciebant, culcitam verberare incipiunt pulveris tollendi causa.

4. At ubi verbera sensit viator, quam citissime potuit, e somno excitatus, fugam petiit. Verberantes vero metu correpti currebant dicentes: malum, malum! larva (*duende*) est in lecto!

ALOISIUS TAMARIT
alumnus Collegii Cordis Mariae
Barcino

SOLUTIONES SUPERIORIS FASCICULI:

Saltus equi: Donec eris felix multos numerabis amicos.

Triangulus numericus: Horatius.